TAUTOLOGIA SECUNDA.

SCITIS, QUOD DOCUERIM VOS PRÆCEPTA atque iustitias: sic facietis ea, & observabitis & implebitis opere. Deuteron. 4. vers. 6.

EXPOSITIO LITERÆ.

ICUT diversis acceptionibus in sacra pagina invenitur aversio, & diversio â lege (igitur modò peccatum, modò delictum, scelus, iniquitas, crimen, error, pollutio, immunditia, prævaricatio, transgressio, malum, & sic alia, de quibus latè *Tautolog.* 7. à num. 18. iuxta materiam, vel malitiam vocatur) non secùs usuvenit in lege Domini: signatur itaque usquequaque *Custodia, mandata, præcepta, iustitia, iustificatio, iudicia, via, testimonia, testamentum, fœdus, pactum, sermo, verbum, mirabilia, eloquia, æquitas, veritas, voluntas, salutare, ordinatio, beneplacitum, lumen,* & si quæ alia, sic dicta vel propter finem, vel propter medium, vel propter modum, vel propter effectum, aut substantiam facti. Unde Div. Thom. 1. 2. quæst. 99. art. 5. in corp. insit: *In lege ponuntur aliqua tanquàm præcepta, aliqua verò tanquàm ad præceptorum impletionem ordinata. Præcepta quidem sunt de his, quæ sunt agenda, ad quorum impletionem ex duobus homo inducitur, scilicèt, ex authoritate præcipientis, & ex utilitate impletionis, quæ quidem est consecutio alicuius boni utilis, delectabilis, vel honesti; aut fuga alicuius mali contrarij. Oportuit igitur in veteri lege proponi quædam, quæ authoritatem Dei præcipientis indicarent; & huiusmodi dicuntur Testimonia. Oportuit enim quod in lege proponerentur quædam præmia observantium legem, & pœna transgredientium; & huiusmodi dicuntur Iustificationes, secundùm quòd Deus alios iustè punit, vel præmiat. Ipsa autem agenda sub præcepto non cadunt, nisi in quantum habent aliquam debiti rationem: est autem duplex debitum, unum quidem secundùm regulam rationis, aliud autem secundùm regulam legis determinantis: unde Philosophus 5. Ethic. distinguit duplex iustum, scilicèt morale & legale. Debitum autem morale est duplex: dictat enim ratio aliquid faciendum, vel tanquàm necessarium, sine quo non potest esse ordo virtutis; vel tanquàm utile, ad hoc quòd ordo virtutis meliùs conservetur: & secundùm hoc quædam moralium præcisè præcipiuntur, vel prohibentur in lege; & hæc propriè dicuntur Præcepta. Quædam verò præcipiuntur, vel prohibentur non quasi præcisè debita, sed propter melius; & ista possunt dici Mandata, quia quandam inductionem habent & persuasionem. Unde Hieronymus dicit, quòd in præceptis est iustitia, in mandatis verò charitas. Debitum autem ex determinatione legis in rebus quidem humanis pertinet ad iudicialia, in rebus autem divinis ad cæremonialia; quanvis ea, quæ pertinent ad pœnam vel præmia dici possunt Testimonia, in quantum sunt protestationes quædam divinæ iustitiæ. Omnia verò præcepta legis possunt dici Iustificationes, in quantum sunt quædam executiones legalis iustitiæ. Possunt etiam aliter mandata à præceptis distingui, ut præcepta dicantur, quæ Deus per seipsum iussit; mandata autem, quæ per alios mandavit; ut ipsum nomen sonare videtur.* Hactenùs Angelicus Magister. Leonard. Marius in *Genes.* 26. num. 1. subdit: *Aliquando pro eodem accipiuntur: possunt tamen ista etiam distingui*; ut Præcepta *vox generalis sit ad omnia*: Mandata, *leges naturales universales*: Cæremoniæ, *leges positivas de sacrificijs*: Leges, *particulares & civiles comprehendat.* Gloss. in cap. *Omnes* distinct. 3. signat quid iure Cano-

Varia nomina legis.

Unde hominum obligatio?

D. Thom.

Discrimen præceptorum & mandatorum.

Canonico indicent aliquæ voces, subdens: *Canon dicitur id quod statuitur universali Concilio: Decretum quod Papa statuit de Concilio Cardinalium: Decretalis Epistola, quam statuit Papa vel solus vel cum Cardinalibus ad consultationem alicuius. Item adhuc invenimus appellationes Canonicæ Constitutionis, ut dogma, mandatum, interdictum, sanctio. Dogma est, quod consistit in doctrina fidei Christianæ: Mandatum, quod consistit in doctrina de moribus: Interdictum in quo nulla pœna adijcitur: Sanctio ubi pœna adijcitur.* Ergo ad Biblicas acceptiones. Leon Mar.

2 Cuncta sanè legis instituta, ut homo formetur, in via dirigatur, ac in beatitudinem perveniat, instructo animo, ut tendat in Deum actionibus religionis, pietatis, & iustitiæ, rectâ fide, bonâ conscientiâ & purificato corde. Quapropter *Testimonia* dicuntur, tùm quia cum contestatione pœnarum & præmiorum tradita sunt; tùm quoniam nobis contestantur voluntatem Dei expressam in illis, qua de causa dicuntur *Voluntas*, & *Beneplacitum*. Dicuntur etiam *Iudicia*, eò quòd sunt summæ æquitatis decreta: *Iustitiæ*, ob regulam iuris tam in distributione, quàm in commutatione: iccircò *Æquitas* in iustitia & in iudicio: consequenterque *Iustificationes*, quia observantes faciunt iustos, & perducunt in gloriam, ut salutem consequantur æternam: hinc *Salutare* signantur. Ne homo erret, *Lumen* & *Lucerna* sunt: habent enim rationalem causam; quapropter etiam appellantur *Ordinatio*: siquidem non solùm præ se ferunt ordinem, sed etiam modum, tam respectu Dei, quàm proximi: quæ quidem ordinatio etiam dicitur *Veritas*, quoniam in iudicio nulla acceptio personarum.

Quid significent?

Cur dicantur præcepta testimonia?

Cur iudicia iustitiæ, iustificationes.

3 *Via* quoque iurè signantur, & quia per ea ad Deum tenditur, & quia sunt recta vivendi ratio, igitur in Biblijs via sæpè accipitur pro vitæ instituto, seu vivendi ratione. Aliquibus placuit, dici *Eloquia*, *Sermones*, *Verba* propter felicitatem custodientibus à Deo promissam; sed, quantum auguror, aptiùs dicuntur, quia humano modo prolata, qua de causa dicitur *Lex scripta*: quippequàm estò præcepta decalogi dictata sint à naturali ratione, nihilominùs tamen nota facta sunt in promulgatione legis; quia in multis per contrariam consuetudinem obnebrata peccatis iacebat ratio naturalis, in alijs cæca, in alijs obcæcata. Deinde, quia licèt in aliquibus vigil esset ratio, deficiebat amor in bonum. Insuper, ut in legem non solùm induceret rationalis natura, sed imperij divini reverentia. Denique ut faciliùs mandata memoriæ credita, frequentiùs cogitarentur, de quo D. Thom. in 3. *Sent. dist.* 37. *art.* 1. *in corp.* Perinde Deuter. 10. 4. Præcepta decalogi dicuntur *Verba decem*: & Levit. 27. 46. sæpeque alibi, *Per manum Moysi*: igitur in Sinai promulgata ab Angelo toti populo, pòstque scripta in lapidibus traditis Moysi, ut doceret filios Israël observationem decalogi immutabilis: hinc lex in lapide scripta, ut dicitur *Exod.* 32. 15, 16. non autem præcepta iudicialia & cæremonialia, quia mutanda erant; igitur hæc ligebant in obligationem, quia præcepta; & præcepta decalogi, utpotè moralia, immutabilia: obligant enim, secundùm se, ac ex rationis dictamine, ut observat Angel. Doctor ubi dudùm ad 2. & in 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæstiunc. ad* 2. & 1. 2. *q.* 100. *art.* 11. *ad* 2. & *q.* 104. *art.* 1. & 4. *ad* 2. Cuncta igitur præcepta tam hæc, quàm illa dicuntur *Verba mirabilia*; quia iuris naturalis prohibent ea, quæ secundùm se sunt mala; sed iuris positivi etiam occasiones malorum, ut ait idem in 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 4.

Quare verba & eloquia?

Cur cætera præcepta nò scripta in lapide, sicut decalogi?

4 Denique præcepta dicuntur *Testamentum*, quia voluntas firma & ultima Legislatoris, tanquàm conditio fœderis & pacti, ut per observantiam & legis custodiam pateat, quòd Legislator sit populi Deus, & illi Dei populus, uti habetur *Exod.* 24. 8. 34. 27. *Levit.* 26. 44. & 45. ac alibi sæpè. Quo in loco observa ita dici: *Ego enim sum Dominus eorum, & recordabor fœderis. Dominus* hic idem est ac vir, vel maritus, & ita Dei exprimitur amor erga legis observatores. Huiusmodi acceptio crebrò invenitur in sacris & profanis. Iudic. 19. 26. *Mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus*: hoc est, maritus, vel vir. 1. Petr. 3. 6. *Sara obediebat Abrahæ dominum eum vocans*: ut dicitur *Genes.* 18. 12. & ad *Ephes.* 5. 22. *Isai.* 54. 4. *Dominabitur tui qui fecit te.* Id est, noli tristari, quanvis vel vidua, vel sterilis sis: Deus tuus, qui fecit te, erit tuus dominus, videlicèt sponsus: quo sensu dicitur per Ieremiam 3. 14. *Convertimini filij revertentes, dicit Dominus; quia ego vir vester.* Iosephus *Antiq.* lib. 5. cap. 11. de Ruthe dicit: *Petiisse, ut se tanquàm dominum communi thalamo dignaretur.* Vid. Del. tom. 1. *Adag.* 171. Virgil. lib. 4. *Æneid.* vers. 213.

Cur dicantur testamentum, & fœdus?

Levit. 26. *Dominus pro marito vel sponso.*

Iosephus.

Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Repulit, ac dominum Æneam in regna recepit.

Virgil.

Secuti

Secuti sunt Ovidius lib. 2. *Fastor.* in *Regifug.* vers. 61. & *Epist.* 19. vers. 151.

Mittenda est domino (nunc nunc properate puellæ)
Quamprimum nostra facta laterna manu.
Elige de vacuis, quàm non sibi vendicet alter:
Si nescis, dominum res habet ista suum.

Ovid.

Idem repetit *Epist.* 3. vers. 5. & etiam Propertius *lib.* 2. *Eleg.* 9. vers. 11. & *Eleg.* 34. v. 15.

Et Dominum lavit mœrens captiva cruentum
Appositum fluvijs in Simoënta vadis.
Te socium vitæ, te corporis esse licebit:
Te dominum admitto rebus amice meis.

Propert.

Eodem sensu Seneca in *Medea* Act. 1. vers. 11. infit:

Dominumque regni tristis, & dominam fide
Meliore raptam, voce non fausta precor.

Senec.

Martialis usquequaquè acceptione utitur: vid. Tiraquell. *Leg.* 1. *Connub.* 4. num. 14. & quæ diximus *Tom.* 1. *Tautolog.* 6. num. 69. Quo proclivè intelligitur, quare voce Domini tanquàm sponsi, utitur Deus credità custodia legum: igitur media observatione confertur & conservatur gratia, qua constat connubium inter Deum & animam. Hinc dicit Sponsa *Cant.* 2. 26. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et Deus post adulteria facta à Synagoga, revocans hanc in legum observantiam, dicit per Osee cap. 2. à vers. 20. *Desponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & in miserationibus. Sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus* (id est, vir, sive maritus iuxta præfata) *& dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu.* Hac metaphora usus est Paulus, Corinthios alloquens, conversos iam illius prædicatione ad Deum vivum & verum. *Desponsi enim vos* (inquit *Epist.* 2. cap. 11. 2.) *uni viro virginem castam exhibere Christo.* Idem ad *Rom.* 9. 25. 1. *Petr.* 2. 10. & *Apocal.* 21. 3. *Ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

Cant.

Ose.

Per legis observantiam habit anima Deo.

2. Cor.

5 Huiusmodi ergo lex dividitur in præcepta moralia, iudicialia, & cæremonialia; hæc spectant ad Religionem ritibus queis Deus colendus. Iudicialia ad politicen populi, & magistratus; ut omnimodò iustitia servetur, atque pietas exerceatur: demùm moralia, quæ sunt mandata decalogi de diligendo Deum & proximum, in quibus tota lex pendet. Hinc Hebr. dicuntur *Choch*, id est, statutum, ut observat Oleaster hic, quoniam lex tanquàm terminus extra quem nihil rei, & intra quem tota res continetur; arctat & constringit hominem, ne prætergrediatur ultra, nec fines præfixos transeat. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, iustum & bonum*: ut inquit Paulus ad Rom. 7. 22. & Moyses hic vers. 8. *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, iustaque iudicia, & universam legem?* Igitur Deus non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis: credita sunt populo eloquia Dei. Verùm quanvis lex bona & utilis, non tamen erat perfecta, & sufficiens ad salutem. Unde Paulus ad Hebr. 7. 19. *Nihil* (ait) *ad perfectum adduxit lex*: & Ioann. 1. 17. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum-Christum.* Vid. Div. Thom. ubi supr. art. 6. Quapropter huiusmodi lex confertur Legislatori Moysi à Seraphino Capponi in *Veritat. aureis* super *Deuteron.* 34. conclus. 2. dum iubetur terram promissionis aspicere ex Nebo in vertice Phasga; & simul inhibetur prospicient' introitus: etenim lex etsi bona, quia imperfecta, neminem quantumcunque sanctum introducere poterat in cœlum; licèt quàm desiderabilia essent cœlestia, prospicientibus ostenderet. Sic igitur dicit per Ezechielem: *Dedi eis præcepta non bona.* Non bona, quia non conferebat id, quod simpliciter dicitur bonum, nempe gratiam iustificantem impium. Quo intuitu Paulus: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Unde bona præcepta, sed respectivè non bona. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 98. *art.* 1. *ad* 1. Chrysost. Homil. 7. in 1. *Cor.* & 17. in *Act. Apost.* Etiam August. *Epist.* 9. ad Hieron. Qui quidem stylus frequens in sacra pagina, ubi invenitur denegatio positivi, modò non sit æquale. Malach. 1. 13. *Esau autem odio habui.* Id est, minùs dilexi. Luc. 14. 26. *Siquis non odit patrem suum*, &c. nimirùm, magis diligit, quàm me; ut habetur *Matth.* 10. 37. Ex quibus præmissis, patet, quid intenderit Paulus loc. præf. ad Rom. v. 27. *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.* Discrimen inter legem factorum & legem fidei exponitur solidè ab Augustino tam *Contra Pelag.* quàm de *Spir. & Liter.* maximè cap. 13. Lex factorum ea est, quæ iubet, quid sit faciendum; lex fidei, est ipsa in Christum, impetrans gratiam ad faciendum, quod lex iubet. Lex factorum, lex Mosaica: lex fidei, lex Christi

Præcepta moralia, iudicialia, & cæremonialia.

Lex Mosaica imperfecta, uti umbratica.

Ezech. 20. 25.

Rom. 3. 20.

Quid lex factorum, & lex fidei?

Christi, quæ lex nova. Lex factorum continet præceptum: lex fidei in præceptum confert auxilium. Illa dat lucem, ut, quod faciendum, sciamus: hæc virtutem confert, ut faciamus, quod faciendum. Lex factorum iubet: lex fidei dat, ut quod iubetur, perficiatur. Lex factorum, circuncisio carnis: lex fidei, circuncisio cordis. Sic alia & optima videris apud eundem.

6 In legis iustæ custodiam Moyses iamiam moriturus instruit populum, dicitque ei: *Scitis, quod docuerim vos præcepta atque iustitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus. Sic facietis ea, in terra quam possessuri estis, & observabitis, & implebitis opere.* Ecce Tautologiæ argumentum: igitur multiplicatæ videntur sententiæ, cùm clareat facientes observare legem, ac opere implere: quapropter huiusmodi geminationibus quid intendatur, operæ pretium erit, atque propositum demonstrare. Quanvis exergasicè possent exponi huiusmodi auctoritates, quo schemate clariora fiunt intentionis proposita, & altius sedent animo, ut non solùm iussa fiant, sed perficiantur; arbitror non tam substantiam seu materiam hic præceptorum exponi, quàm modum. Quare Leonardus Marius in *Levitic.* 19. ait: *Præcepta sola non observanda.* Ita enim Moyses dicit: *Sic facietis*: quippe licèt facta, quasi non facta, ni sic; ut latè docuimus *Tom.* 3. *Tautolog.* 11. à num. 3. Unde facere est ritè facere, ut observat Villalp. ad illud Ezech. 11. 20. *Iudicia mea custodiant, faciantque ea. Faciant* (ait) id est, *perficiant.* Exactè faciant, ut faciant: iccircò David Psalm. 118. 4. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*: id est, perfectè, ritè & rectè. Olim uti observat Plutarch. in *Numa*, litantibus dicebatur: *Quod facis, fac.* Scilicèt, facies utique, si ritè feceris. Quo sensu Senec. lib. 6. de *Benef.* cap. 21. infit: *Vir bonus non potest non facere, quod facit*: quippe ni faceret benè, nec faceret, neque ipso facto esset bonus. Plautus in *Mostellar.* Act. 5. scen. 1. vers. 51. ita iubet: *Quod agis, id agas.* Varro lib. 1. de *Re rustic.* referens proverbium: *Dij facientes adiuvant*, infit: *facientes, qui ritè operantur sacris.* Euripides in *Andromach.* vers. 549. *Agitis facienter.* Exprimit modum, qui in rebus desideratur, ut factæ ne iudicentur infectæ, quippe tædio malefactæ. Unde Ovven. *lib.* 3. *Epigr.* 168. inquit:

Prima expos.

Deut. 4. 6.

Leonard. Mar.

Facere, pro perficere. Villalp.

Plutarch. Senec. Plaut. Varr. Eurip.

Adiectiva parùm prosunt, adverbia multum:
Non bona tam pensat, quàm benefacta Deus.

Ovven.

Vide dicta in *Prolog. Gal.* §. 7. num. 3. Ita & Priamus Achilli apud Homer. *Iliad.* 24. vers. 660.

Sic mihi faciens grata facies:
Erunt tibi, ut tu iubes.

Homer.

Ni sic, ingrata opera, & quæ non grata, non iussa. Patet ex contextu: *Sicut mandavit Dominus, sic facietis*: etenim ni sic, non fiet, sicut Dominus mandavit. Hoc est igitur observare & opere implere iussum, facere & exequi non solùm quoad substantiam, sed quoad modum. Ostenditur Matth. 1. 24. ubi de Ioseph dicitur: *Fecit sicut præceperat ei Angelus*: igitur opus iussum evanesceret, ni, sicut præceperat Angelus, credita faceret. Ita vel Sophocles in *Philoct.* vers. 557. commendat opera:

Modus etiã observandus in præceptis Matth. 1.

Non sunt consilia sed opera facta,
Et non amplius segniter gesta.

Sophoc.

7 Alia cogitemus. Sæpe facere pro non oblivisci accipitur. Virgilius lib. 12. *Æneid.* vers. 438.

Tu facito mox, cùm matura adoleverit ætas,
Sis memor, atque animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas & avunculus excitet Hector.

Virgil.

Plautus in *Amphitr.* Act. 1. scen. 1. vers. 300. *Fac quod faciendum tibi.* Id est, recole faciendum. Terentius in *Adelphis*, Act. 4. scen. 4. vers. 2. *Faciam, agam.* Id est, recordabor facere. Sicut contrario sensu Virgil. 2. *Æneid.* vers. 244. *Instamus tamen immemores, cæcique furore.* Quapropter in Tautologia *facere* idem est, ac recordari, quod ipse commendat ibid. cap. 9. 7. *Memento* (ait) *noli oblivisci.* Vide quæ diximus *Tom.* præced. *Tautolog.* 7. Unde sensus erit, scis præcepta, memento horum observationis, ut facias, opere respondente legis statuto: siquidem ut ait Iacobus 1. v. 22. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos; quoniam siquis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus,*

Plaut. Terent. Virgil.

Expos. secunda.

Iacob. 1.

sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Via mandatorum currenda, & qui sciens refugit facienda, claudicat in via. Iccircò *claudicantem* vocat Dominus Ierusalem apud Michæam 4. 6. & 7. quippe sciebat legem, & exequi nolebat. Pariter Servator N. *Matth.* 23. 2. invehitur in Doctores legis, observationis voluntariè obliviosos dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæ dixerint vobis, servate & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Lex speculum est, quo deformitas, vel pulchritudo exprimitur: igitur nisi ad regulam prava, quia invisa, non corriguntur: cor fit immaculatum in iustificationibus. Vel Ethnicus monet. *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret: multa ex hoc consecuta: primò sui notitia, deinde & ad quædam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam: deformis, ut sciret, redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset: iuvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senis ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem dedit nosmetipsos videndi.* Hæc Senec. lib. 1. *qq. natur.* cap. 17. & Plautus in *Epidic.* Act. 3. scen. 3. à vers. 1. aptiùs proposito:

Mich. 4.

Matt. 23.

Cur lex cõferatur speculo?

Senec.

Ad quid institutum?

Non oris casà modò homines æquum fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum.
Sed quà perpiscere possent cor sapientiæ:
Igitur perspicere ut possint cordis copiam:
Ubi id inspexissent, cogitarent postea,
Vitam ut vixissent.

Plaut.

Vide alia in 1. *Apolog.* Apul. Altiùs canit Herman. Hug. lib. 2. vot. 6. *Pjor. desid.*

Tunc quoque corrigerem speculo censore lituras,
Ore nec in toto menda notanda forent.
Sique supercilij pilus unus abesset ab arcu,
Unicus ecce pilus, vociferarer, abest.
Si color inficeret vitiatos decolor orbes,
Luminibus color hic, vociferarer, obest.
Nempe vel exiguo metuam te ledere nævo,
Ulla foret formæ si tibi cura meæ.

Herm. Hug.

Non aliter lex, ut correctus evadat, qui uti in speculum perspexerit in legem; quin excusetur per nescientiam, aut ignorantiam: etenim obijcitur in speculo legis, quod iam scriptum in tabulis cordis, ut canit Prosp. de *Provid.* à vers. 413.

Legis in exemplum iuvat ire, & quærere ab ipsis,
Qui curam Domini removent, an tempore ab illo
Cœperit humanas in vitæ fœdera mentes
Informare Deus: nec per tot sæcula mundi
Permotus vitijs, tunc ius præscripserit æquum?
Ite ipsi in vestræ penetralia mentis, & intùs
Incisos apices, ac scripta volumina cordis
Inspicite, & genitam vobiscum agnoscite legem.

Prosper.

Ita declarat Moyses, & intendit fieri, observari, & impleri, uti declarat. *Idem & discenti & docenti debet esse propositum* (ait Senec. *Epist.* 108.) *ut ille prodesse velit, hic proficere. Aut sanior domum redeat, aut sanabilio. Quidam veniunt, ut audiant; non ut discant. Non id agunt, ut aliqua vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant. Sic ista discamus, ut quæ fuerunt verba, sint opera.*

Senec.

8 Hæc recordatio in observantiam commendata à Moyse, non in opus legis, sed in signum vanitatis à Doctoribus Hebræis retorta: igitur Christus invehitur in Scribas & Pharisæos dilatantes phylacteria, in quibus scriptum primum & maximum mandatum de diligendo Deo. Phylacteria erant membrana, de quibus Hieronym. in *Matth.* lib. 4. *Comment.* ait: *Dominus cùm dedisset mandata legis per Moysem, ad extremum intulit* (Deut. 6. 8.) *ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Est sensus: Præcepta mea sint in manu tua, ut opere compleantur: sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisæi malè interpretantes, scribebant in membranis decalogum Moysi, id est, decem verba legis, complicantes ea, & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur.* Imò addit, solitos spinas interserere fimbrijs, ut puncti mucronibus, recordarentur legis. Sed hem! Puncti sunt, sed non compuncti. Vid. Novarin. in *Schediasm. sacr.* Maldon. Barrad. Caiet. & Alap. hic

Quid Phylacteria apud Hebræos?

Hieron.

Spinæ quare insertæ inter illorum vestis fimbrias?

hic. Christus non damnat phylacteria & fimbrias, sed propositum gestantium: siquidem quod Deus præcepit *Numer.* 15. 38. aptabant in hypocrisim, dilatatis membranis, & perlongioribus filis, ut sese ostentarent religiosiores cæteris, & observantiores, non intelligentes *se divino condemnandos esse iudicio, si absque operum fructu de plausu tantùm sibi religiosi sermonis, velut de sonitu & tegumento blandirentur viridantium foliorum*: ut inquit N. V. Beda Homil. 7. in *Quadrag.* Theoph. & Chrysostom. in 23. *Matth.*

Bed.

9 His profectò intelligitur emphasis Moysis in ly *Sic. Sicut mandavit Dominus, sic facietis*, ait. Quomodò mandavit? *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Ibid. vers. 2. Quid ergo illi? Irritum faciebant mandatum propter traditiones, docentes doctrinas hominum, nequaquam legi consulentes, sed sibi in lucra. Sensum præceptorum depravabant. Unde Oleaster hic infit: *De præceptis, non de explicatione præceptorum sermo est.* Hæc licita, imò necessaria rudibus, ut ait Div. Thom. 3. *p. q.* 60. *art.* 8. *ad* 1. Minimè sic exponebant; sed dicebant bonum malum, & malum bonum. Unde Servator N. loc. Matth. cit. ait: *Clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*: etenim ad lubitum erant, non iuxta legem licita vel illicita, aliquando excolantes culicem, & aliquando deglutientes camelum. *Non dominicis, sed suis inclusi ovilibus* (ait S. Legislator, Duxque N. Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 1.) *pro lege eis est desideriorum voluptas; cùm quicquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, putant non licere.* Hæccine horum arrogantia & præsumptio, quas sequitur væ. *Væ vobis Legisperitis* (dicebat Magister cœlestis) *quia tulistis clavem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.* Luc. 11. 52. Ludicra, uti præcepta docebant, atque præcepta, uti ludicra. Primum constat ex illorum traditionibus de ablutione manuum ante prandium, de deplosione cunctorum fictilium, aliquo fato functo, si continerent aquam, quippe anima egrediens de corpore, in cunctis hydrijs, amphoris & ollis sese abluebat, & baptizabat, maximè si sine operculo. Etiam docebant maximum esse peccatum fimbrias vel vittas gestare præter quatuor: quapropter quoniam addere nequibant, magnificabant. Addere quoque cidro, spatulis palmarum, myrto & salici in festo Tabernaculorum aliquem florem vel ramusculum, flagitium arbitrabantur: sic alia. Secundum patet ex his quæ Christus obijcit: equidem præceptum de honore parentum pleniùs adimpleri docebant, munere sacris oblato. *Matth.* 15. 5. & iuramentum per templum & altare non obligare; secùs verò si fieret per domum altaris, & aurum templi. Quid frigidius? Non in lege Domini voluntas horum, sed legem Domini aptabant suæ voluntati. Unde ut Christum damnarent, non legem exposuerunt, sed propriam; id est, lubitum pro lege desiderata, ponentes sua signa legis signa. *Nos legem* (dixerunt) *habemus, & secundùm legem nostram debet mori.* Ioann. 19. 7. Lex veneranda est, cuius cultum explicat observatio: adimplenda etiam, cuius propositum exprimit opus. Quare dum Moyses monet legis observari præcepta, & opere impleri, innuit sic faciendum, sicut à Domino stabilitum, sine diminutione, nec appositione pro Doctorum voluntate, ne audientes trepident, ubi nullus timor, panico timore; nec ruant in foveam, si pravæ viæ exponuntur uti rectæ. Canit Marian. in *Proverb.* 16. & Crucius in *Psalm.* 13. & 52.

Tertia exposit.

Oleast.

Matth.

Co ifissarij cauti sint. S. Bened.

Luc.

Pharisæi iudicra ut præcepta; & econtra docebant.

Illorum fatuitates.

Et hypocrisis. Ioann.

Doctores nec levent, nec gravent onera legis.

Omnipotens horret pravum, evertitque superbum,
Quippe utráque manu in crimina multa ruit.
Est via, quæ viridis, plana & speciosa videtur:
Eius sed finis mors & Avernus erit.
At gelido victi ponent horrore timores,
Cùm res timorem nulla iustis afferet.
Hanc habeant pœnam, timidi cum nulla pavoris
Est inquieti causa, semper horreant.

Marian.

Cruc.

In cuius proposito ne quid temerè audeant, aut timidè renuant, in adimpletionem præceptorum & modum, Doctorum erit exemplum. Quare textus genuine dilucidatur per Hendiadym, quo schemate unum dividitur in duo. Unde sensus erit: sic facietis observare, si opere impletis. Igitur observatio pendet ab exemplo. Stylus sanè frequens in Scriptura, quando inveniuntur duo verba, ex quibus unum intelligendum nomen, vel adverbium. Ut illud Psalm. 125. 2. 3. *Magnificavit facere.* & 2. Cor. 9. 8. *Abundare facere.* Quod in propositum nostrum Deut. 23. 23. iteratur. *Observabis & facies*: id est, facies in voci observantiam. Alijs parco, ne acta sæpè agam.

Hendiadys in Script.

10 Multotiès facere sumitur pro cognoscere, & econtrà. *Ipsi verò non cognoverunt vias meas.* Hebr. 3. 10. *Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Isai. 1. 3. sic alia sexcenta testimonia: *Testimonia tua intellexi.* Psalm. 118. 95. id est, feci, atque opere implevi. Quo exponitur difficile Pauli testimonium dicentis ad Rom. 2. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter* (lumine naturali rationis, atque humanæ facultatis) *ea quæ legis sunt, faciunt* (faciunt, id est, cognoscunt,) *eiusmodi legem* (hoc est Mosaicam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex* (dictante ratione, quid faciendum, vel quid non) *qui ostendunt opus legis* (quoad moralia scilicet, non quoad cæremonialia & iudicialia) *scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Examen igitur rationis est, conscientiâ dictante, quid faciendum, vel non faciendum; & cogitatione accusante, vel defendente factum, vel non factum. Eâdem acceptione Terentius in *Andr.* Act. 1. scen. 2. vers. 15. *Hoccine agis, an non?* id est, intelligis? Et vers. 16. *Quod antehac fecit* (videlicèt, intellexit, cogitavit) *nihil ad me attinet.*

Quarta expos. *Facere pro intelligere, & econtrà.* Rom. 2. Teren.

11 Sicut facere sumitur pro intelligere, ita observare signat curam & venerationem habere. *Neque solùm Deorum voces observant Pythagorei, sed etiam hominum, quæ vocant omina.* Cicer. lib. 1. de *Divinat.* Virgil. 4. *Georgic.* vers. 210. accinit:

Præterea regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Observant. Regi incolumi mens omnibus una est.

Observare pro venerari. Cicer. Virgil.

Loquitur de apibus: & ubi dicit *observant*, de eodem obsequio Claudian. in 4. *Honor. consulat.* vers. 381. subdit, *Venerantur.*

Stridula ductorum pratis examina regem
Nascentem venerantur apes.

Claudian.

In sacris frequentiùs. *Num.* 9. 12. *Deut.* 5. 12-12. 28. & alibi passim. Necesse est etiam recoli usum Scripturæ, quo multoties *Et* sumitur pro *Ut*, uti annotavimus *Tom.* 1. *Taut.* 6. *num.* 39. & *Tom.* 3. *Taut.* 4. *num.* 42. Unde modò facilis expositio Tautologiæ. Totum propositum Moysis est in opus legis, ad quod necessaria cognitio, & veneratio, exprimentes rationem & voluntatem, quod profectò David Psalm. 118. 2. signat exquirere *toto corde*, & Psalm. 1. 2. voluntatem & meditationem: meditationem in intelligentiam, voluntatem in observantiam: igitur ut ait vel Profanus in *Heutontim* Act. 4. scen. 6. vers. 1.

Et pro ut.

Nulla est tam facilis res, quin difficilis fiet,
Quam invitus facias.

Terent.

Quapropter dum dicit Moyses præcepta facienda, observanda & opere implenda; exponit media & finem: Q. d. Ut opere legem impleatis, necessaria tam volitio, quàm intellectio: etenim nemo diligit, quod ignorat: & renuit opere implere, quod non diligit. Ita dicitur Iosue cap. 1. à v. 7. *Ut intelligas cuncta quæ agis, non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam & intelliges eam.* Perpende intelligere, custodire, & facere: siquidem ut iussa opere impleantur, amor accedit & intelligentia. Etiam apud Homerum invenies huiusmodi ordinem tam in dictante, quàm in audiente. *Iliad.* 9. vers. 442. dicitur:

Quinta expos. Iosue 1. *Ad observatiam legis, necessaria intellectio, & volitio.*

Me misit, ut docerem te ista omnia,
Sermonemque elocutor ut esses, actorque operum.

Homer.

Additurque à Phœnice ibid. vers. 453. Achille facinus mirante, & iurè:

Obedivi, & feci actor operum.

Idem.

Id est, intellexi, observavi, & opere implevi.

12 Hìc etiam in geminatione horum verborum intelligi potest totus hominis annixus in legis observantiam: igitur cùm anima operetur potentijs; expressis potentiarum simul operationibus, palàm fit operantis & observatoris animus. Quo intelligitur modus diligendi Deum præscriptus tam in lege scripta, quàm nova. *Deuter.* 6. 5. *Matth.* 22. 37. *Marc.* 12. 30. & *Luc.* 10. 27. Ibi exprimitur dilectio in toto corde, anima, mente, ac viribus: id est, memoria, intellectu, & voluntate, totis viribus, quoad possumus, pro facultate, & possibilitate: non positivè, ut dicunt Theologi, quippe impossibile in via, & tantùm complendum in patria; sed negativè, quatenus sic amemus, ut nihil sit huic dilectioni contrarium, nec Deo aliquid præponatur. Mente diligendus Deus, cogitatione, voluntate, desiderio, memoriâ, recordatione. Unde cùm probatio dilectionis

Modus Deũ diligendi.

ctionis exhibitio sit operis (quia ut dicit Ioann. 1. *Epist.* cap. 2. 5. *Qui servat verbum eius, verè in hoc charitas Dei* (id est, erga Deum) *perfecta est*: quoniam *qui dicit, se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est*: per opus, nempè per mandatorum custodiam cogitatione, desiderio, & recordatione astruitur vera dilectio: quare Soter N. dixit discipulis, Ioann. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*: sanè exprimitur in dilectum amor, dum illius recordatur anima, ipsum cogitat & desiderat: quare cùm lex sit expressio voluntatis dilecti, diligendique; ut explicent Israëlitæ erga Deum dilectionem, commendat Moyses memoriam, desiderium ac cogitationem legis. Cuncta iunguntur 4. Reg. 23. 25. *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua iuxta omnem legem Moysi.*

1. Ioan. *Sexta expos.* Ioan. 14.

13 Deinde. Aliquando facere usurpatur pro incipere, de quo plura diximus *Tom.* 1. *Tautolog.* 3. *num.* 5. ut illud Genes. 22. 16. *Quia fecisti hanc rem*: & Ioann. 14. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (hoc est incipio) *surgite, eamus hinc.* Eodem sensu cap. 17. 4. *Ut faciam.* Haud aliter circa legis mandata tria verba facere, observare, & implere, exponi poterunt: ita ut sensus sit: sic, scientes quòd docuerim vos præcepta legis, atque iustitias, incipietis, proficietis, & perficietis. Incipietis facto, proficietis observatione, perficietis impletâ lege. Quo elucet, non idem, etsi circa idem, esse verborum intentum; sed pro diversis affectibus, observantium statibus, atque vitæ curriculo commendari. Ita Plautus in *Milit.* Act. 3. scen. 1. vers. 210. succinit:

Facere pro incboare. *Septima expos.*

Ergo accurato, & properato opus est: nunc auscultà,
Obediens hoc facto.
Et præcepta sobriè ut cures, face.

Plaut.

Ubi, ut vides, post commendatas promptitudinem, diligentiamque circa præceptorum observantiam, auscultare iubet, ut incipiat; obedire, ut in opus proficiat; ac denique facere, ut perficiat. Alijs terminis, sed in idem, apud Homerum invenimus conatum, curâ adhibitâ pro iniunctorum promptissima, atque exacta observatione. Ita igitur *Odyss.* 5. à vers. 90. postquàm Mercurius è cœlo à Iove missus, huius voluntatem Calypso expressit, dicens:

Nullo modo fas est, Iovis mentem, ægida habentis,
Neque prætergredi nec irritam facere.

Homer.

Subdit Nympha, & ostendens hilaritatem, & demonstrans in mandata promptitudinem:

Venerandus & charus, loquere quæ cupis.
Perficere autem animus iussit,
Si possum perficere, & si perficiendum est.

Idem.

14 Denique iuxta contextum aliam expositionem autumo, & aptam, ni fallor: ita ut *sic facere* indicet perseverantiam in legis custodia. Propter legis transgressionem multi perière. *Oculi vestri viderunt* (ait) *omnia, quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores eius de medio vestri. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem.* Quapropter ne moriamini præceptorum transgressione, imò ut sitis longævi super terram (quoniam *præmium observationis legis est vita præsens*: ut inquit Caietanus hìc & vers. 4. ex *Levit.* 18. 5. & ex *Epist. ad Rom.* 10. 5.) sicut docui, *sic facietis*: hoc est, perseverabitis in custodiâ, observentia, atque mandatorum impletione: aliàs sicut transgressores exterminati sunt; ita peribitis, & pœnas iurè, meritoque luetis. *Ut faciens ea, vivas, & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est vobis*: uti dicitur hìc v. 1. ne ab illa exuletis. *Cavete ergo ne & vos similiter* terra *evomat, cùm paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos* &c. uti prædictum *Levit.* 18. 28. Perspicuè præscribitur Deut. 19. 9. *Si custodieris mandata, & feceris, & ambules in vijs eius omni tempore.* Huiusmodi acceptio frequens est profanis & sacris. Homer. 1. *Odyss.* vers. 288. ait: *Postquam finieris & perfeceris.* Nempè, perseveraveris: igitur post operis factum, nihil ultrà præter consistentiæ donum, quod David vocat *consummationis finem*, Psalm. 118. 96. idem Homerus *Odyss.* 22. vers. 441. Sophocles in *Oedip. Tyran.* vers. 1302. & in *Antigon.* vers. 1232. dicunt: *Operatus est opera*: id est, prosecutus. Terentius in *Hecyr.* Act. 3. scen. 4. vers. 12.

Octava expos. *Facere pro perseverare.* Caiet. Levit. 18. Deut. 19. Psalm. 118. Homer.

Olim quidem te causæ impellebant leves,
Quod nunc minitere facere, ut faceres.

Terent.

Videlicèt, ut in faciendo insisteres. Idem Plaut. uti vidimus num. anteced. Propert. *lib.* 3. *Eleg.* 12. vers. 17.

Facies

Facies nullo munita puella timore.

Demùm Virgilius lib. 8. *Æneid.* referens Evandrum continuantem Herculi sacrificium ob Cacci exterminium, & interitum, à v. 185. succinit.

Virgil. ——*Non hæc solemnia nobis*
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio, veterumque ignara Deorum
Imposuit: sævis hospes Troiane periclis,
Servati facimus.

Ubi facere pro prosequi: ideò addit:

——*Meritosque novamus honores.*

15 In sacris etiam usuvenit. Ezech. 11. 20. *In præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea*: scilicèt perseverent in custodia atque illorum observantia. Hoccine sensu exponendæ aliæ affines Tautologiæ *Si autem facientes feceritis verbum istud*, &c. id est, si feceritis iudicium & iustitiam, ac in eis manseritis. Ibid. cap. 44. 17. effrænes, perfugæ ac pervicaces Iudæi dixerunt Ieremiæ: *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli*, &c. hoc est, in sententia persistemus: non tantùm non resipiemus, sed faciemus quæ fecimus, & quæque, & quomodolibèt placuerit. Perseverantiam quoque expressit David, dicens Miphiboseth: *Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum.* Non solùm tibi modò consulo; sed deinceps curabo, ne tibi quicquam desit: gratia diuturna erit, atque iugis: *Comedes panem in mensa mea semper.* Quod alio Hebraismo proferri solet, ut vidimus *Tom.* 1. *Tautolog.* 5. *ex Ierem.* cap. ult. vers. 34. *Cibaria perpetua dabantur ei à Rege Babylonis statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ, cunctis diebus vitæ eius.* Ita ergo Moyses invitat filios Israël in legis custodiam: siquidem obnoxij essent pœnis transgressorum, quantunvis observassent, ac illatenùs complevissent, ni perseverarent. *Si autem averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Ergo ut vivas Israël, persiste in præceptorum custodia, serva mandata. Ita vel profanus apud Virgil. 2. *Æneid.* vers. 606. infit:

Ierem. 22. 4. Ibid. 44. 19. *Quid sit facere faciendo?* 2. Reg. 9. 7. Ierem. 52. Ezech. 18. 24.

——*Tu ne qua parentis*
Iussa time, neu præceptis parère recusa.

Virgil.

16 Alium sensum habet *facère faciendo* in alijs Tautologijs; etenìm haccinè geminatione exprimitur certitudo eventus, quin sit obex, vel si fuerit, quod exitum optatum impediat. *Faciens facies*: dixit Saul Davidi. Id est, voto potieris in cunctis. Prævalebis nonnunquàm: ideò subdit: *Potens poteris*: de quo suo loc. *Tom.* 5. *Tautolog.* 1. Sine difficultate perficies, ac proposita obtinebis ex facili, ex tuto, quasi sine impedimento, vel obiectis pluribus: *Certissimè* ait Villalpand. *Tom.* 1. *in Ezech.* 3. 18. Quod vernaculè dicimus: *Dicho, y echo.* Etiam stylum invenies apud Terentium in *Heautontim.* Act. 5. scen. 1. vers. 31. *Dictum factum*: et vers. 41. *Quo verba facilius dentur*: id est facilius quàm verba dentur. Unde hìc Eugraphius: *Perinde est, ac si diceret, sine mora, absque ulla cunctatione.* Quæ non sunt in manu nostra adipiscèris, quasi essent in manu, & fierent ad placitum, atque caderent ad lubitum: siquidem obiecta proteres, & obstantia proscindes. Ita facilitatem ad consequenda vota expressit quidam miles Cæsaris; qui, ut inquit Plutarchus in ejus *vit.* cùm voto Cæsaris refragaretur Senatus, extendens manum in capulum gladij, protulit: *Hic faciet.* Similiter fictum Fortunam civitates in rete mittere, & Timotheo duci Athenienſ. tradere dormienti. Quasi voto potiretur sine labore. Canit Dionys. Lebeus *Embl.* 30.

1. Reg. 26. 25. *Verbum pro adverbio.* Villalp. Terent. Eugraph. Plutarch.

Huic urbes captas Fortuna in retia cogit;
Dum iacet, & molli membra quiete levat.

Lebeus.

17 Aliter, dum Deus ita loquitur, vel de Deo præfata dicuntur, debemus interpretari geminationem, ut cùm dicitur 1. Reg. 25. *Faciens faciet Dominus*, & Ezech. 31. *Faciens faciet ei.* Qui quidem pleonasmus bifariam potest exponi. Primò, sumpto verbo pro adverbio (testimonijs parco, quia in prioribus Tomis multa feges) q.d. Certissimè faciet, planè & plenè faciet. Secundò, quod magis placet, *Faciens facere*, non est idem

1. Reg. 25. 28. Ezech. 31. 11.

idem ac *Faciendo facere*; quippe gerundium signat actionem, participium verò tempus; sed non præsens, quanvis connotetur actio. Quo sensu Abigail dicit Davidi, cuius commotabilis viri rustici inurbanitate: *Faciens faciet Dominus tibi domum fidelem*: hoc est, spero, uti desideratur, te videndum in solio Israël, ac pacificè regnaturum. Modò egens vagaris: non diù ita; imperabis: tandem tandem faciet Dominus: videlicèt, dato tempore, cùm placuerit Domino; quod nos dicimus: *Vita comite, Deo bono*, id est, bonitate, ac gratiâ Dei, *Deo volente, decursu temporis*: Ethnici autem: *Dij faxint, fata si iuvant, modò Iupiter adsit.* Non secùs minæ Dei in Pharaònem Ægypti regem intelligendæ, dum dicitur Ezech. loc. cit. *Faciens faciet ei.* Hoc est, dato tempore faciet: modò non faciet; sed faciet, etsi non exprimat quando; vel si exprimat, ut Genes. 15. 16. *Generatione autem quarta revertentur huc* (Hebr. *Revertentes revertentur*) *nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Ita dicitur 4. Reg. 20. 17. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua.* Quod Ierem. 23. 5. assignatur in præsenti: *Ecce dies veniunt.* Ubi in *Paraphr.* Sanctius infit: *Nascetur aliquando.* Quod certissimè futurum, in Bibl. huiusmodi phrase signatur, ut Psalm. 125. 6. *Venientes autem venient.* Habach. 2. 3. *Expecta illum, quia veniens veniet.* Id est, modò non apparebit, verùm veniet, quando decretum à Deo, de quo suis loc. Quàm apta expositio, constat 1. Reg. 2. 30. ubi dicitur: *Loquens locutus sum ::: Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & videbis æmulum tuum in templo*, &c. Modò sacrificijs vives, ac sacerdotio fungèris; sed tandem ab altari removeberis, & filij tui, qui brechia stipitis familiæ tuæ, præcidentur, scilicèt, morientur una die. Non novum in Scriptura est filios ramos vocari, ut Iob. 15. 30. *Ramos eius arefaciet flamma*: nec econtrà, homines dici arbores, *Daniel.* 4. 19. *Marc.* 8. 24. & *Luc.* 3. 9. Unde sicut rami stipitis brachia sunt, ita filij parentis dicuntur brachia. Usus est metaphorâ Virgilius lib. 12. *Æneid.* vers. 207. Sic enim peribit familia Heli interfectis filijs, sicut:

Diferimen inter facere facientem, & facere faciendo. Genes. 15. Hebr. 4. Reg. Sanct. *Brachia patris dicuntur filij, & rami.*

Nunquàm fronde levi fundet virgulta, nec umbras,
Cùm semel in silvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro,
Olim arbos.

Virgil.

18 Restat igitur investigandum, cur si perficitur, aut adimpletur custodia mandatorum, illorum observantia, quæ nulla erit sine opere, additur: *implebitis opere?* Finis actionis aliquando exponitur pro via ad actionem, tuncque sensus est: sic facietis, ut impletio & observatio legis pateat per opus: etenìm ut diximus supr. num. 7. non est custodia, legis scientia. *Non enim auditores legis* (ait Doctor Gentium ad *Rom.* 2. 13.) *iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quapropter, cùm præceptis opus intendatur, observatio solummodò opere astruetur. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*: ait Petrus *Epist.* 2. 1. 10. & Hebr. in text. Tautolog. ex quo Caietan. legit: *Ad faciendum sic.* Usus frequens in Scriptura, in cuius testimonijs, maximè subintellectâ notâ comparationis, claret actio pro fine. Isai. 24. 16. & 19. *Prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati. Confractione confringetur terra, contritione conteretur, commotione commovebitur, agitatione agitabitur.* cap. 32. 19. *Humilitate humiliabitur.* Idem *Ierem.* 12. 11. & alibi passim. Q. d. Ita peccaverunt, ut pateret prævaricatio. Ita terra quassabitur crebris bellis & incursibus hostis, ut cuncti videant confractionem, contritionem, commotionem, agitationem, subiectionem & humilitatem. Similiter Isai. 21. *Ut faciat opus suum, ut operetur opus suum.* Scilicèt, ut per opus innotescat operari. Ita electo in imperium Galba, ut ait Suetonius *cap.* 6. per castra iactatum est: *Disce miles militare.* Quid quòd nomen militiæ dederit, sine militis opere? Unde Euripides in *Suppl.* vers. 1144. *Miles militabo.* Et in sacris Isai. 13. 4. *Dominus exercituum præcepit militiæ belli. Elaboravit fabricans*, inquit Homer. *Iliad.* 2. vers. 101. & 7. vers. 219. Nempè, ita elaboravit, ut pateret fabrica. *Bibebant, ac sedabant sitim.* Iliad. 22. vers. 2. Ecce finis actionis pro actione, sicut apud Virgil. 8. *Æneid.* vers. 184.

Finis pro actione, & econtrà. Rom. Hebr. *Nona expositio.* Suet. Homer.

Postquàm exempta fames, & amor compressus edendi.

Virgil.

19 Opus sæpe sumitur pro exercitio, aut opera: hinc ex actione, sive opera, aut diligentia obtinetur opus, tanquàm operantis fructus: quare cùm manu fiant opera, metaphoricè exercitia observantiæ dicuntur opus, quasi fructus exercentis. Deuteron. 6. 8. dicitur: *Ligabis ea in manu tua.* q. d. Exercebis: igitur cùm manus ad operationes destinentur

Quid sit opus & opera? Deut.

nentur, quicquid operationis est; estò longè, quoniam superioris facultatis, tribuitur manibus. Unde plerunque propter epitasim, ac vividiorem expressionem, usuvenit addi instrumentum, quo res conficitur, quanvis in opera uti necessarium supponatur. Cantic. 7. 1. *Monilia fabricata manu artificis*: id est, affabrè. Virgil. 1. *Æneid.* v. 459. 596. & *lib.* 12. vers. 210.

Suppositum exprimitur instrumentis in opus.

Artificumque manus inter se, operumque laborem
Miratur — Artificis manus ære decoro.

Virgil.

Homerus *Iliad.* 5. vers. 60. *Qui manibus noverat ingeniosa omnia facere*: hoc est, ingeniosè, perpolitè. Quo sensu etiam *Odys.* 22. vers. 422. *Operà docuimus operari*: scilicèt artificiosè exercitio. Æquè profectò expositio Tautologiæ. *Opere* implenda lex, ut lex impleatur, uti diximus etiam *Tom.* 1. *Tautolog.* 3. *num.* 28. ad illud Iacobi: *Factor operis.* Unde legem opere implere, nil aliud est, quàm exactè implere. Quare Arab. *Accuratè custodite, exactè*: exactèque impletur per exercitia, ut ex opera sit opus, sive observantiæ fructus, qui dicitur operæpretium, & manupretium, uti notat Brissonius *Antiq.* lib. 4. cap. 23. Varro de *Ling. Latin.* lib. 4. Taubman. in *Plauti Menæchm.* Act. 3. scen. 3. vers. 20. & Isidor. lib. 11. *Etymolog.* cap. 1. dicens: *Abusivè manus etiam ars, vel artifex, unde manupretium dicimus.* Sic in legem operatio necessaria, sicut manus ad corporis operationem. Iccircò aliquando *opus* additur in exactionem legis, sicut manus in munera corporis. Virgilius lib. 1. *Æneid.* vers. 428.

Homer.

Ultima expositi.

Quid sit manupretium.

Isidor.

Molirique arcem, & manibus subvolvere saxa.

Virgil.

Sequuntur plerique Vatum stylum, inter quos melleâ camœna Ioann. Mel. Sousa lib. 5. de *Domin. incarnat.* ubi succinit:

Paupertas humilem suasitque fabrilia docta
Exercere manu. Victum sudore parabat.

Ioann. Mell.

20 Hæc cuncta demonstrat Moyses populo terram trans Iordanem ingressuro, ut possideat pacificè, atque in tribulationibus, si occurrerint, auxilietur Dominus, minimèque spectet Deos alienos, seu idola, in quorum adorationem proni, ac magnoperè propensi, sicut erga conditorem & benefactorem fluxâ nonnunquàm fide. *Cùmque quæsieris ibi Dominum Deum tuum* (infit à vers. 28.) *invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Cave ab idolis, nec servias *Dijs, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & lapidi, qui non vident, nec audiunt.* In his vijs contritio & infelicitas. Unde Habac. ait: *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam? Quia speravit in figmento fictor eius, ut faceret simulachra muta. Væ qui dicit ligno: Expergiscere. Surge, lapidi tacenti. Nunquid ipse docere poterit? Dominus autem in templo sancto suo.* Hic contrapositio est deorum genti um, & Dei veri & vivi, de quo ex professo *Tautolog.* 4. igitur qui adorat Deum, habet in cœlo & in corde: & qui idolum, ut canit vel Ethnicus 1. *Æneid.* vers. 468.

Habac. 2. à 18.

Animum pictura pascit inani.

21 Sed inquires, cur Prophetes, si dixerat: *Lapidi*; subdit: *Tacenti*; cùm lapides non loquantur? Plerunque inter Hebræos exprimitur suppositum. 2. Reg. 12. 16. *Ieiunavit ieiunio.* Psalm. 113. 8. *Fontes aquarum.* Act. 27. 33. *Ieiuni, nihil accipientes.* Genes. 28. 20. *Panem ad vescendum.* Proverb. 30. 22. *Saturatus cibo.* Sic alia. Hellenismus etiam est. Homer. *Iliad.* 11. vers. 350. *Assecutus est, nec erravit*: & *Iliad.* 19. vers. 346. *Ieiunus & impastus.* Quint. Calab. lib. 1. vers. 400. *Mortui alitibus epulum, non sepulti.* Eurip. in *Ion.* vers. 675. *Os mutescit, & loquendi non habet facultatem.* Sophocl. in *Aiac.* vers. 735. *Intra tectum non extra.* & vers. 852. *Valde ultimum, & nunquàm rursus deinceps.* Apud Latinos Virgil. 12. *Æneid.* vers. 648. *Sancta anima, atque istius inscia culpæ.* Plin. *lib.* 5. *cap.* 9. *Inermis, sine armis.* Sic alia congerenda in illud 4. Reg. 13. 14. *Ægrotabat infirmitate.* Vide quoque dicta *Tom.* 3. *Tautol.* 1. num. 9. & 11-2. num. 8-5. num. 2-10. num. 11. & 12. num. 28. Ita sane hic Habac. tacentem dicit lapidem, quippe non solùm ex lapide idolum, sed quia, ut audiret preces, & iuvaret, vel erectum tanquàm lapis. Lapis erat ante erectionem, & manet lapis. Uti lapis sine sensu, sine vitalitate verbum nec audire, nec formare quibat: Dei nihil addidit forma: igitur iacet, si iacet: erectus stat, si erectus, & nihil amplius quàm lapis, qui sine ulla operatione. Quod latè prosequitur Salomon *Sapient.* 13. 12. & Nos *Tautolog. seq.*

Vers. 19.

Suppositum aliquando exprimitur.

22 Stoliditas in adoratione idolorum ostenditur à Propheta: quare si fatuus iudicaretur, qui alloqueretur statuam, vel imaginem in speculo expressam, unde adagium: *Loqui ad statuam*, uti videris apud Erasm. in *Chiliad.* quid dicendum de illo, qui diceret ligno,

Erasm.

ligno, *Expergiscere*: & lapidi, *Surge*? Hinc dicuntur Dij aurei, argentei, ærei, ferrei, lignei & lapidei (*Daniel.* 54.) quoniam nihil aliud præter aurum, argentum, æs, &c. Nil prosunt invocantibus, suntque in altari forma Deorum, sicut materia, in qua incisa forma. Surgere nequeunt, quia nihil est idolum in mundo. Quare per sarcasmum dicitur *Deuter.* 32. 35. *Ubi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam*, &c. *Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Id est, si nihili, nihilo sunt. Quid adiutorij à iacente ligno, & quid consilij à lapide muto? Etiam Ethnici irridebant Deos, ut videris apud Aristophan. in *Nubib.* Suet. in *Cæsar.* cap. 76. & in *Vespas.* cap. 23. Ferè cuncta humana illis tribuebant, adulteria, comessationes, ebrietates, rixas adinvicem, imò somnum, ut ait Homerus 2. *Iliad.* à vers. 1.

Deut.

Vel Ethnici sunt irridebant Deos

Cæteri Dij, & viri equites galeati
Dormiebant per totam noctem:
Iovem autem tum cepit dulcis somnus.

Homer.

23 Hinc iocus Eliæ sacerdotibus Baal dicentis 3. Reg. 18. 27. *Clamate voce maiori, Deus enim est, & forsitàm loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit.* Vide Sanctium hic. Omnia obsequia, quibus homines homines obstringunt in amicitiam, auxiliumve, exhibebantur Dijs fictis. *Alius Iovi nunciat, alius unctor est, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem*, ait ex Seneca August. lib. 6. *Civ. Dei* cap. 10. & refert Iust. Lips. lib. 2. *Elector.* cap. 18. Salve ei dicere, notat Apuleius lib. 2. *Metamorph.* Ex quorum usu Arnobius *contra Gentes* lib. 7. inquit: *Quid sibi volant excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim Superi, remeare ut ad vigilias debeant?* Ita debachati sunt, ut arbitrarentur vinculis retinendos. *Oblatam esse per somnium sibi speciem Apollinis* (ait Q. Curtius lib. 4. *Hist. Alexand.*) *urbem deserentis. Quamquàm auctor levis, aureà catena devinxere simulachrum, Æraque Herculis, cuius numini urbem dicaverant, inseruere vinculum.* Idem Plutarch. in *Alexand.* Spartanos ita coluisse Martem, ac compedibus irretitum, quasi sibi proprium, inquit Pausan. *lib.* 3. Ephesios à Cœso obsessos alligasse Dianam, refert *lib.* 1. *cap.* 26. Herodotus. De statua Veneris dicit Ælian. *Histor. var.* lib. 3. cap. 26. Idem fecit Heliogabalus de Palladio, uti perhibet Lampridius in eius *vita*, cap. 6. Athenienses simulachro Victoriæ alas ademerunt, ne volaret ad hostes; & Romæ cùm fulmen eiusdem statuæ decussisset alas, sic omen exposuit Pompeius:

Conditionis arbitrabantur humanæ.

August.

Arnob.

Retinebant in vinculis.

Q. Curt.

Roma potens, alis cur stat Victoria lapsis?
Urbem ne valeat deseruisse suam.

Pomp.

Vide Arnobium *lib.* 6. Denique ut tradit Plutarchus in *Rom. qq.* cap. 61. *Quoties simulachra ad lavacrum, aut lustrationem aliquam deducebant, à Dijs fideiussores exigerent.* Diximus *Tom.* 3. *Tautolog.* 10. à num. 8. Deos etiam vulneratos ab hominibus. Ecce stoliditas: à Dijs cogitabant, vel poscebant gubernari; & credebant à se in vincula, & ordinem cogi posse. Quid sint, optimè & graphicè dicit Ieremias in *Epist.* ad captivos Hebr. *Baruch* cap. 6.

Plutarch.

24 Non adinstar lapidùm possunt dici, quo sensu lapis dicitur stupidus, quasi insensatus, uti de quodam, sedente super saxum in orchestra, dixit Diogenes Cynic. *Sedet super lapidem lapis.* Vide Erasm. in *Apophtheg.* & Terent. in *Heautont.* Act. 4. scen. 7. vers. 3. *Hei, quid stas? Lapis!* Plaut. in *Milite*, Act. 4. scen. 2. vers. 33. *Nullum hoc est stolidius saxum.* Vel præ dolore extra se, ut fictum de Niobe, ac de se, derelicta Theseo, dicit Ariadne apud Ovid. *Epist.* 10. vers. 49.

Homo lapis qui? Erasm. Teren. Plaut.

Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi,
Quàmque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

Ovid.

Sed omninò insensibilia, uti sunt saxa. Deo possumus dicere *Surge, Expergiscere.* Unde David tàm Psalm. 9. 10. quàm 43. 23. exclamat: *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge & ne repellas in finem.* & Psalm. 77. 65. *Excitatus est tanquàm dormiens Dominus, tanquàm potens crapulatus à vino.* Non quia dormit, quippe non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël; sed anthropopathicè ad similitudinem hominum, qui dormire dicuntur, dum possunt agere, & prætermittunt. *Nonnunquàm Ecclesia tantis Gentilium pressuris* (ait N. V. Beda lib. 2. cap. 28. in cap. 6. *Marc.*) *non solùm afflicta; sed & fœdata est, ut si sieri posset, Redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur.* Dominus mortificat, sed vivificat; percutit, sed sanat. Oculi illius aperti, & aures intentæ, ut auxilietur, igitur adiutor in tribulationibus: Dij verò Gentium dæmonia, & puraputa saxa, ad quos adorantium voces, nihil oliud, quàm surdo narrare fabulam.

Psal. 43.

Anthropopathos in Script. Bed.

Cur idola dicuntur sana?

Verba dare non magis quisquam, quàm lapidi, potest.

Plaut. Dicit Plautus in *Mostellar.* Act. 5. scen. 2. vers. 25. Dominus autem in cœlo est, tanquàm in templo, atque de cœlo prospicit, vocesque afflictorum exaudit.

25 Satis in Tautologiam. Hæc igitur lex in moralibus, in civilibus, & sacris, dicitur *Lex scripta*; & à Moyse populo Israël promulgata, sed in lapidibus: ut patèret (exceptis civilibus & sacris) inter gentes *legis scriptum in cordibus*, ut vidimus ex Paulo num. 10. Pro quo audi D. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 11. ad 1. *Præcepta iudicialia & cæremonialia ex sola institutione vim habent, quia antequam instituerentur, non vi-debàntur differre, utrùm sic, vel aliter fierent: sed præcepta moralia ex ipso dictamine naturalis rationis efficaciam habent, etiam si nunquàm in lege statuantur. Horum autem triplex est gradus: nam quædam sunt communissima & adeò manifesta, quòd edictione non indigent; sicut mandata de dilectione Dei & proximi, & alia huiusmodi, quæ sunt quasi fines præceptorum: unde in eis nullus potest errare secundùm iudicium rationis. Quædam verò sunt magis determinata; quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de facili videre: & tamen quia in paucioribus circa huiusmodi contingit, iudicium humanum perverti; huiusmodi edictione indigent: & hæc sunt præcepta Decalogi. Quædam verò sunt, quorum ratio non est cuilibet manifesta, sed solùm sapientibus; & ista sunt præcepta moralia superaddita decalogo, tradita à Deo populo per Moysen & Aaron. Sed quia ea, quæ sunt manifesta, sunt principia cognoscendi eorum, quæ non sunt manifesta; alia præcepta moralia superaddita decalogo reducuntur ad præcepta decalogi per modum cuiusdam additionis ad ipsa. Nam in primo præcepto decalogi prohibetur cultus alienorum Deorum, cui superadduntur alia præcepta prohibitiva eorum quæ ordinantur in cultum idolorum: sicut* Non inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem: nec sit maleficus, atque incantator, nec pythones consulat, neque divinos, & quærat à mortuis veritatem. *Secundùm autem præceptum prohibet periurium, superadditur autem ei prohibitio blasphemiæ, & prohibitio falsæ doctrinæ. Tertio verò præcepto superadduntur omnia cæremonialia. Quarto autem præcepto de honore parentum superadditum præceptum de honoratione senum, secundùm illud:* Coram cano capite consurge, & honora personam senis: *& universaliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam maioribus, vel ad beneficia exhibenda æqualibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto, quod est de prohibitione homicidij, additur prohibitio odij, & cuiuslibet violationis contra proximum, sicut illud:* Non stabis contra sanguinem proximi tui: *& etiam prohibitio odij fratris, secundùm illud:* Non oderis fratrem tuum in corde tuo. *Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterij, sic superadditur præceptum de prohibitione meretricis, secundùm illud:* Non erit meretrix de filiabus Israël, neque fornicator de filijs Israël. *& iterùm prohibitio vitij contra naturam, secundùm illud:* Cum masculo non commisceberis: cum omni pecore non coibis. *Septimo autem præcepto de prohibitione furti adiungitur præceptum de prohibitione usuræ, secundùm illud:* Non fœneraberis fratri tuo ad usuram. *& prohibitio fraudis secundùm illud:* Non habebis in sacculo diversa pondera: *& universaliter omnia, quæ ad prohibitionem calumniæ & rapinæ pertinent. Octavo verò præcèpto, quod est de prohibitione falsi testimonij, additur prohibitio falsi iudicij secundùm illud:* Nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut à veritate devies: *& prohibitio mendacij, sicut ibi subditur:* Mendacium fugies: *& prohibitio detractionis secundùm illud:* Non eris criminator, & susurro in populis. *Alijs autem duobus præceptis nulla alia adiunguntur; quia per ea universaliter omnis mala concupiscentia prohibetur.* Hactenùs Angelicus Doctor: sat præfata, ut clareat Angelicus. At ante nostrum propositum nota, quàm dextrè decretis arcetur Hebræorum malitia: igitur sufficeret alij dicere simpliciter: *Non lustres filium tuum, ducens per ignem*: & additur: *Filiam tuam*; quoniam ita duræ cervicis, & cordis addicti idolis, quòd filias Moloch dicaret, quippe sexum tantùm masculum lex expressit. Sic alia: & ut cognoscas quàm pravæ fuerint mentis, audi R. Kimhi, qui explanans illud Levit. 19. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, subdit: *Ideo dicit David: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus: id est, si iniquitatem aliquam corde solùm proposui, necdum tamen in opus deduxi; Deus eam mihi non imputabit ad culpam.* Ita magistri cæci sunt, & duces cæcorum, arbitrantes solos externos actus lege prohibitos. Taxat doctrinam assertor N. Matth. 4. 43. *Audistis quia dictum est* (in lege, *Levit.* 19. 18.) *Diliges proximum tuum*: & (à vobis) *odio habebis inimicum tuum. A vobis*: igitur ibid. vers. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Et vers. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris iniuriæ.* Ita dicunt de insertione: non prohiberi per

Præcepta moralia ad decalogum pertinentia.

Quæ præcepta, quorum obiectũ notissimum? D. Thom.

Cur aliqua decalogo superaddita?

Deut. 18. 10. 11.

Levit. 19. 42.

Ibid. v. 16. vers. 17.

Deuter. 23. 17.

Levit. 18. 22. 23.

Deuter. 23. 19.

Deuter. 25. 13.

Exod. 23. 2. Vers. 7.

Levit. 19. 16.

Deuter. 18. 20.

Prava Iudæorũ mens in interpretatione Scriptur. R. Kimh.

per se, sed per modum, aut abusum: siquidem insertio fiebat, habente surculum fœmina; tunc contra naturam cognitâ, ut ait Rabb. Moyses apud Gaffarel. de *Curiosit. inaud.* cap. 6. num. 6. Quid fœdius? Sed eorum genio quàm aptum!

26 Ut pudeant obcæcatæ voluntariè mentis, & præ malitia extincti penè naturalis luminis, pateatque lex scripta humanis cordibus, teste conscientiâ & simul cogitationibus; audiendus est Ethnicus, igitur eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, ita ut ni fecerint, damnentur meritò in divino iudicio, ut ait Paulus ubi supr. siquidem Gentiles, *quicunque sine lege peccaverunt, sine lege* (data scilicèt) *peribunt*, quia à ratione, vel rationis defecerunt lege. *Et* (Iudæi) *quicunque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.* Phocylides, de quo Suidas, *Natus est* LIX. *Olympiade, scripsit heroicum carmen, & elegias, item Paræneticum carmen, ex libris Sibyllinis, ut volunt, decerptum.* Dignum sanè lectione: & quia præ manibus non est, transcribo libenter: mihi laboris erit ad marginem annotare consonantiam cum libris sacris. Audi.

Quomodo conscientia lex?

Rom. 2. 12.

Quis Phocylides & quæ scripsit?

Sapient. 14. 24.	*Nec furtivas nuptias quære: nec masculam venerem exerce.*	*Levit.* 18. 22.
Levit. 19. 11.	*Nec fraudes nectè: neque sanguine manus pollue.*	*Isai.* 1. 15.
Eccli. 13. 30.	*Ne ditescas iniustè, sed ex iustè partis vive.*	*Psalm.* 127. 2.
Matth. 6. 34.	*Esto contentus præsentibus, & ab alienis abstine.*	*Prov.* 23. 10.
Exod. 23. 7.	*Mendacia ne dixeris, sed vera omnia loquere.*	*Ibid.* 19. 9.
Deuter. 6. 5.	*Primùm Deum cole, posteà verò tuos parentes.*	*Exod.* 22. 12.
Levit. 19. 15.	*Omnibus iusta tribue, neque iudicium ad gratiam trahe.*	*Exod.* 23. 2.
Eccli. 22. 28.	*Ne abijcias paupertatem iniustè: ne iudica personam.*	*Levit.* 19. 15.
Exod. 23. 6.	*Quod si tu malè iudicaveris, Deus te posteà iudicabit.*	*Psalm.* 49. 6.
Exod. 20. 16.	*Testimonium mendax fugito, & iusta loquere.*	*Prov.* 19. 5.
Eccli. 42. 10.	*Virginitatem custodi, fidemque in omnibus serva.*	*Eccli.* 27. 17.
Levit. 6. 38.	*Mensuras tribue iustas, quoniam modus in omnibus bonus.*	*Prov.* 23. 4.
Prov. 20. 10.	*Lancem ne impellas in alteram libræ partem, sed æqualem trade.*	*Levit.* 19. 35.
Levit. 19. 12.	*Ne peieraveris, neque inscienter, neque spontè.*	*Deuter.* 5. 11.
Exod. 20. 7.	*Falsum iuramentum odit Deus immortalis, quicunque iuraverit.*	*Levit.* 22. 12.
Exod. 22. 5.	*Semina ne furare: exesrabilis est, quisquis abstulerit.*	*Eccli.* 17. 13.
Levit. 19. 13.	*Mercedem laboranti da: ne afflige pauperem.*	*Deuter.* 24. 15.
Psalm. 33. 14.	*Linguæ mentem adhibe: occultum verbum in pectore contine.*	*Eccli.* 22. 27.
Eccli. 10. 6.	*Ne iniurius velis esse, neque item iniustè agentem sinas.*	*Psalm.* 100. 4.
Eccli. 4. 3.	*Mendico statim da: neque cras venire iube.*	*Prov.* 3. 28.
Prov. 31. 20.	*Impleta manu tua misericordiam egeno exhibe.*	*Eccli.* 4. 4.
Num. 35. 11.	*Exulem in domo excipe, & cæcum in viam duc.*	*Levit.* 19. 14.
Act. 28. 1.	*Naufragorum miserere: quoniam navigatio incerta est.*	*Prov.* 30. 19.
Eccli. 7. 36.	*Manum lapso porrige: serva, cui nemo asistit, virum.*	*Isai.* 1. 17.
Eccle. 12. 6.	*Communes casus omnium, vita trochus, instabilis felicitas.*	*Psalm.* 72. 20.
Eccli. 18. 25.	*Si divitias possides, tuas manus pauperibus porrige.*	*Eccli.* 7. 38.
Prov. 5. 16.	*Quæ tibi dedit Deus, de his egentibus præbe.*	*Eccli.* 29. 14.
Prov. 17. 14.	*Sit communis omnis vita, & concordia omnia.*	*Act.* 4. 32.
Psalm. 44. 4.	*Gladium accinge non cædem, sed ad ultionem.*	*Deuter.* 20. 13.
Luc. 22. 51.	*Utinàm non indigeas neque legitimè, neque iniustè.*	*Exod.* 20. 13.
Isai. 5. 8.	*Ab agro vicino abstine: transgressiones sunt vitiosæ.*	*Eccli.* 31. 10.
Isai. 17. 11.	*Non crescentem adhuc agri fructum lede.*	*Exod.* 9. 25.
Job. 31. 32.	*Sint in pari honore advenæ cum civibus.*	*Genes.* 19. 2.
Genes. 47. 4.	*Regio nullum stabile habet solum hominibus.*	*Levit.* 19. 33.
Prov. 15. 27.	*Avaritia mater est mali omnis.*	*Prov.* 28. 16.
1. *Tim.* 6. 10.	*Aurum semper inesca est, & argentum homini.*	*Eccli.* 31. 8.
Eccli. 31. 6.	*O aurum malorum dux, corruptela vitæ!*	*Eccle.* 10. 19.
Prov. 28. 16.	*Neque aliam occulta in corde sententiam, aliam affare.*	1. *Reg.* 3. 18.
1. *Paral.* 12. 33.	*Omnibus simplex esto, & ex animo loquere.*	*Prov.* 8. 13.
Prov. 9. 7.	*Institutum examina cuiusque.*	*Eccli.* 22. 7.
Eccli. 32. 1.	*Ne efferaris sapientiâ, neque robore, neque opibus.*	*Job.* 31. 24.
Prov. 8. 12.	*Unus Deus est sapiens, potens, & omnifariàm dives.*	*Rom.* 10. 12.
2. *Reg.* 19. 15.	*Ne præteritis malis macera cor tuum.*	*Prov.* 9. 13.
2. *Reg.* 12. 23.	*Neque enim ampliùs potesque quod factum, esse infectum.*	*Psalm.* 77. 39.
Eccle. 7. 10.	*Ne sis præceps ad manum, sed ferocem fræna iram.*	*Prov.* 17. 4.

2. Reg. 11. 1.	*Nimius luxus ad immodicos trahit amores.*	Luc. 15. 13.
Prov. 30. 8.	*Instat nimia opulentia, & ad contumelias.*	Prov. 18. 23.
Prov. 14. 17.	*Excandescentia surrepens parit furorem perniciosum.*	Prov. 15. 18.
Prov. 15. 18.	*Ira cupiditas est, modum excedit ira inveterata.*	2. Reg. 13. 32.
1. Cor. 12. 31.	*Æmulatio bonorum bona, malorum verò prava.*	Psalm. 36. 1.
Eccli. 23. 5.	*Audacia malorum exitiosa, sed valdè iuvat bona tractantes.*	Eccli. 4. 33.
Eccli. 40. 26.	*Virtutis amor honestus est: at Veneris auget dedecus.*	Eccli. 9. 3.
1. Petr. 5. 8.	*Moderatè comede, bibe, & loquere.*	Psalm. 140. 3.
Prov. 28. 22.	*Ne invideas bona socijs, nec reprehensionem affigas.*	Psalm. 14. 3.
Eccli. 31. 19.	*Temperantiam exerce, & obscænis factis abstine.*	2. Timot. 2. 19.
Psalm. 36. 8.	*Ne sectare malignitatem, sed iurè abole vindictam.*	Psalm. 7. 5.
Eccle. 11. 12.	*Persuasio utilitatem, lis verò litem gignit.*	Eccli. 28. 10.
Eccli. 19. 4.	*Ne credas citò, priusquàm certò finem perspicias.*	Eccle. 12. 13.
Eccli. 20. 14.	*Vincere benefacientes plurimis meritis congruit.*	3. Reg. 10. 10. 13.
Prov. 15. 17.	*Pulchrius est recipere hospitem statim frugali mensa,*	Genes. 18. 2.
Prov. 23. 7.	*Quàm pluribus subdolis, & tardantibus intempestivè.*	1. Mach. 16. 15.
Deuter. 24. 12.	*Nunquàm fœnerator avarus sis viro pauperi.*	Eccli. 20. 16.
Deuter. 22. 6.	*Neque quis aves è nido simul omnes auferat,*	Num. 31. 18.
Ibid. v. 7.	*Sed matrem dimittet, ut rursus habeat ex ea pullos.*	Genes. 32. 11.
1. Reg. 8. 2.	*Nunquàm iudicare sinas homines imperitos.*	Eccle. 3. 16.
Eccli. 18. 29.	*Sapientiam sapiens dirigit: artis autem qui eiusdem est artis.*	Eccli. 9. 24.
Prov. 15. 14.	*Non capit magnam doctrinam, qui non didicit audire.*	Psalm. 44. 11.
Eccli. 21. 14.	*Nihil intelligunt, qui nunquàm bona didicere.*	Prov. 15. 12.
Eccli. 21. 14.	*Multi, cibi & potus sunt sodales;*	Eccli. 6. 10.
Prov. 19. 6.	*Tempori servientes, si habeant, unde sacientur.*	Eccle. 11. 19.
Eccli. 7. 7.	*Vulgo ne fide: mutabilis ingenio est turba.*	Prov. 27. 1.
Tob. 2. 7.	*Terram impartire insepultis cadaveribus.*	Psalm. 78. 3.
Prov. 20. 25.	*Ne tumulum mortuorum refodias.*	Job. 3. 22.
Iob. 19. 25.	*E terra speramus nos in lucem proituros.*	Tob. 2. 18.
1. Ioan. 3. 2.	*Posteà verò Dij erimus.*	Matth. 13. 43.
Exod. 3. 15.	*Animæ namque incorruptæ manent in mortuis.*	Matth. 22. 32.
Act. 17. 25.	*Spiritus enim usui à Deo datus est mortalibus, & imago Dei.*	Genes. 1. 26.
Genes. 2. 7.	*Corpus enim ex terra habemus: & omnes in eam resoluti,*	Eccli. 41. 13.
Genes. 3. 19.	*Pulvis sumus: cœlum verò spiritum recipit.*	Luc. 16. 22.
Psalm. 61. 11.	*Divitijs ne parcas; sed recordare, quòd mortalis es.*	Job 27. 19.
Psalm. 48. 18.	*Non licet in inferno opes habere, vel pecuniam eò vehere.*	Eccle. 5. 14.
Sapient. 7. 6.	*Omnes vitâ functi pares sumus.*	Eccle. 2. 14.
Ibid. v. 5.	*Communis locus universis pauperibus & regibus.*	3. Reg. 2. 2.
Genes. 47. 9.	*Non multum temporis vivimus homines, sed ad tempus.*	Job. 7. 16.
Marc. 12. 27.	*Anima verò immortalis est, & senectutis expers vivit perpetuò.*	Daniel. 12. 3.
Eccli. 30. 25.	*Neque malis succumbe, neque item exulta gaudio.*	Prov. 14. 13.
Prov. 27. 1.	*Sæpe in vita etiam fidentibus diffidendum.*	Psalm. 59. 13.
1. Reg. 8. 22.	*Tempori cede, nec resta ventis.*	Eccli. 4. 32.
Amos, 8. 10.	*Infortunium, & afflictis mali solutio venit repentè.*	Isai. 9. 2.
Eccli. 20. 8.	*Ne grandiloquentiæ indulgens, mente rabiosus sias.*	Psalm. 11. 5.
Isai. 33. 6.	*Facundiam exerce, quæ magno omnibus emolumento.*	Prov. 15. 7.
Hebr. 4. 12.	*Telum sane penetrantius ferro sermo est.*	Eccli. 28. 22.
Prov. 25. 11.	*Sed divinitus inspiratæ sapientiæ sermo est optimus.*	Act. 4. 2.
Eccle. 7. 22.	*Præstantior est robusto vir sapientia præditus.*	Eccle. 9. à 16.
Deuter. 19. 12.	*Non fas est occultare virum sceleratum, ne puniatur.*	Isai. 26. 10.
Psalm. 100. 3.	*Maleficum aversari oportet necessariò.*	Exod. 23. 7.
Eccli. 13. 21.	*Sæpe cum malis moriuntur, qui cum eis sunt.*	1. Reg. 31. 6.
Tob. 2. 21.	*Utrique fures sunt, & qui recipit, & qui furatur.*	Exod. 22. 7.
Eccli. 16. 14.	*Suum omnibus tribue: æqualitas in omnibus optima.*	Prov. 24. 23.
Prov. 25. 26.	*Incipiens parcè cunctis utere, ne tandem egeas.*	Eccli. 31. 5.
Exod. 23. 5.	*Si inimici pecus in via ceciderit, colleva.*	Deuter. 22. 4.
2. Mach. 10. 13.	*Venena ne para: à magicis libris abstine.*	Actor. 19. 19.
3. Reg. 1. 6.	*Incipiens malum præcide, & ulceri medere.*	2. Reg. 13. 21.

In-

Coloss. 3. 21.	*Infantibus tenellis ne violenter corripueris.*	Prov. 17. 10.
Iud. 12. 1.	*Seditionem, & litem devita, bello ingruente.*	1. Reg. 10. 27.
1. Petr. 3. 9.	*Satis, pro hoste amicum nancisci, benevolum.*	Eccli. 29. 1.
Prov. 31. 27.	*Opus fac allaborans, ut de proprijs vivas.*	Eccli. 21. 9.
Prov. 20. 4.	*Opus fugitans homo, de furtivis vivit manibus:*	Prov. 11. 29.
Prov. 19. 24.	*Siquis non didicit artem, fodiat bidente.*	Genes. 3. 19.
Prov. 24. 27.	*Est vitæ quodcunque opus, si laborare volueris.*	Prov. 20. 4.
Isai. 37. 25.	*Nullum opus facile sine labore.*	2. Tim. 4. 3.
Eccle. 10. 10.	*Labor virtutem magnoperè adiuvat.*	Prov. 13. 4.
Prov. 6. 6.	*Formicæ prodeunt victus indigentes: natio parva laboriosa;*	Prov. 30. 25.
Eccle. 4. 10.	*Ne maneas, cœlebs, ne fortè sine liberis pereas.*	Eccli. 11. 30.
Levit. 19. 29.	*Nec prostituas uxorem, liberis tuis maculam aspergens;*	Prov. 5. 17.
Levit. 18. 8.	*Novercæ ne attingas secundos parentis lectos:*	Genes. 49. 4.
Ibid. v. 9.	*Neque in aversandum sororis cubile venias.*	2. Reg. 13. 14.
Genes. 35. 22.	*Neque pellicum patris lecto commiscearis.*	2. Reg. 16. 22.
Job. 3. 16.	*Neque mulier conceptum fœtum corrumpat in ventre;*	Job. 21. 10.
Job. 21. 10.	*Neque post partum proijciat.*	Num. 12. 12.
Exod. 21. 22.	*Nullus suæ coniugi gravidæ manum afferat.*	Amos, 1. 13.
Levit. 22. 24.	*Neque marem unquàm exseca.*	Deut. 23. 1.
Levit. 18. 23.	*Neque cum brutis animalibus in torum venias.*	Ephes. 5. 12.
Iud. 19. 25.	*Nec mulierem viola ad pudendum concubitum.*	Rom. 1. 27.
Levit. 18. 22.	*Ne naturæ toros transilias ad venerem nefandam;*	1. Tim. 1. 10.
Rom. 1. 26.	*Nec fœminæ masculorum concubitus imitentur.*	Iudæ, v. 7.
3. Reg. 11. 2.	*Neque amori mulierum totus diffluas effrænis.*	Eccli. 19. 2.
Levit. 18. 16.	*Neque fratrum uxorum ascende cubilia.*	Marc. 6. 18.
Eccle. 9. 9.	*Tuam ama coniugem: quid suavius & præstantius,*	Eph. 5. 2.
Prov. 5. 18.	*Si viro consentit chara uxor usque in senectam?*	Eccli. 25. 2.
Exod. 22. 16.	*Neque quis sine sponsatione violenter puellis misceatur;*	Deut. 22. 28.
Levit. 21. 14.	*Neque malam uxorem in domum tuam adducito.*	Prov. 30. 23.
Eccli. 25. 30.	*Ne servias uxori gratia dotis.*	Eccli. 9. 2.
Eccli. 26. 1.	*Bonam uxorem ducere contende.*	Prov. 28. 22.
1. Reg. 25. 3.	*Neque malum mulier respuit virum, si dives est.*	Eccli. 36. 23.
3. Reg. 11. 3.	*Ne nuptijs nuptias inducas, malum super malum;*	Eccli. 7. 21.
Ephes. 6. 4.	*Liberis autem tuis ne difficilis, sed lenis esto.*	Gal. 6. 1.
Levit. 19. 27.	*Ne in masculo puero nutrias iubam cirri.*	Ierem. 9. 26.
Ierem. 25. 23.	*Masculo non convenit coma, sed mulieribus luxus;*	1. Cor. 11. à 14.
Genes. 19. 5.	*Puerorum multi concubitum desiderant.*	Rom. 1. 27.
Eccli. 7. 26.	*Virginem custodi benè clausis thalamis:*	Eccli. 22. 3.
Ibid. v. 27.	*Neque eam usque ad nuptias conspici siveris.*	Eccli. 42. 9.
2. Mach. 5. 6.	*Cognatis amorem tribue, iustamque concordiam;*	Eccli. 25. 2.
Levit. 19. 32.	*Reverère canos, senibusque cede.*	Eccli. 11. 8.
Eccli. 33. 25.	*Ventris debitam portionem præbe ministris.*	1. Tim. 5. 8.
Deut. 25. 2.	*Notas ne servo imprimas probro eum afficiens.*	Eccli. 33. 30.
Prov. 30. 10.	*Ne lædas maledictis, deferendo apud herum.*	Deuter. 23. 15.
Eccli. 33. 31.	*Accipe vel à servo, si rectè sapias, consilium.*	Genes. 41. 37.
Job. 31. 29.	*Ne gaudeas de inimici malo, sed fove illum.*	Rom. 12. 20.
1. Tim. 5. 22.	*Castitas animæ corporis expurgatio.*	1. Cor. 6. 18.
Prov. 4. à 5.	*Hæc iustitiæ arcana; secundùm quæ viventes,*	Eccle. 12. 13.
Ezech. 18. 28.	*Bonam vitam usque ad senectam transegeritis.*	Exod. 20. 12.

27 Eadem ferè invenies in Plutarch. *Oper. Moral.* His igitur parèt, quàm rationi consona lux & lex; igitur eandem docent Gentiles lumine naturali. Canit Manilius lib. 1. *Astronom.* cap. 1. à vers. 36.

Sentirentque Deum Gentes, quàm maximus esset:
Qui sua disposuit per tempora, cognita ut esset
Omnibus, & mundi facies, cœlumque supernum.
Manil. *Naturæque dedit vires, seque ipsa reclusit,*
Regales animos primùm dignata movere:
Proxima tangentes rerum fastigia cœlo.

Officio

Officio iunxere Deum, quibus ipsa potentis
Numinis accendit castam præsentia mentem.
Hincque Deum Deus ipse tulit, patuitque ministris.

Ita quidem præcepta naturalia & moralia exercuit Iob, & cùm esset in terra Hus, ut patet cap. 31. totamque legem, utpotè scriptam in tabulis cordis. Modò in Lectiones AA. pro Tautologia.

Varietas lectionum.

28 *Sic facietis & observabitis & implebitis opere.* Hebr. Caiet. & etiam Rab. Ionathas ad *Deut.* 28. 13. *Ad custodiendum & ad faciendum.* Samarit. *Intelligentia vestra in oculis populorum, si facitis, observatis & impletis opere.* Arabic. *Accuratè custodite.* Maluend. *Observare observabitis.* Alij: *Servantes facietis.* Cuncta sparsa in Literæ expositione. Aliqua ergo dicamus, ut legem exactissimè observemus.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilogus excurs.

1. *Sic facietis & observabitis.* Quis non facit, dum observat? Qui observat legem ut frangat: igitur ruptæ conscientiæ legis præcipientis opus, risus & risus.
2. *Observabitis & implebitis.* Quid utique perficiendum, si ad usque consummationem observatum? Ultrà consummationem. Ultra obedientiæ finem: equidem obedientiæ summa perfectio, ubi impossibilis iudicatur executio.
3. *Sic facietis & observabitis.* Minimè lex observatur, ni sic ab obediente observetur: etenim obedientiæ perfectio, plusquàm in entitate, micat in modo.
4. *Observabitis & implebitis opere.* Non superfluit, dum in legum observantiam opus addit, quandoquidem verba & verba non sunt legis observantia.
5. *Facietis, observabitis & implebitis.* Tria in apicem perfectionis; quoniam tunc lex mirificè observatione impletur, ubi ultra legem observatio perficitur.
6. *Observabitis & implebitis opere.* Quorsùm *Opere*? Pro amoris indice, & charitatis vulnere; observato proposito & non impleto: quippequàm validum amoris vulnus; quod opus perficeretur, quin perficeretur opus.

DIDASCALIA PRIMA.

O quantum bellum pax peccatorum!

Picinell.

1 Novit paucos secura quies: dictum de Alcide, cœlum humeris portante. Vide Picinellum *Mund. symb.* lib. 3. cap. 22. num. 57.

Labor virtutis gloriosus.

Inter labores Herculis ultimus, id est, maior describitur, verùm labore illustratur,

Ultimus cœlo labor irreflexo
Sustulit collo: pretiumque rursus

Boet.

Ultimi cœlum meruit laboris.

Canit Severinus Boëtius de *Consol. Philos.* Metr. 7. vers. 29. Cœlum lex est, illustrata tot astris, quot literis: & meretur cœli felicitatem, qui portat humeris legem. Aliquibus videtur labor, & est fulgor; quoniam Deus pro merito eximio, fingit laborem in præcepto, & quanvis larva terreat gravaminum, confert laborem gloriosum. Peccatoris *hæc est pars in vita, & in labore, quo laborat.* Si legem ferret, nequaquàm laborando laboraret: equidem adinstar Herculis perferendo molestiam; laboraret, sed laboraret in gloriam.

Eccles. 9. 9. *Labor ex legis labore.*

Quis astra gnatus laudibus meruit suis
Ex te? Quem tuli, mundum peto.

Senec.

Ait apud Senecam in *Hercul. Oetæo*, v. 97. Dicitur virtutis felicitas, unde præter in rationis legem nulla libertas. Gloria plausibilis ostenditur, unde peccator gravatur: equidem hic parit ex labore laborem, & nanciscitur ille ex labore beatitudinem. Moles utique onus legis, sed stellarum moles, ingeniosa metamorphosi pro virtute tenaci, nec in ardua futili: quandoquidem quem infrà premit, suprà decurso tempore tollet.

Moles legis splendida molet.

2 Cæterùm *novit paucos secura quies.* Claret effectus observatæ legis. Qui legem custodit, laborat: pondus vexat, maximè incursibus cupiditatis, in vetita præpellentis.

Quod licet, ingratum est: quod non licet, acriùs urit.

Ovid.

Et quod laboris lassatio, apparet sine labore dulcedo; quoniam solummodò potest quiescere, qui decrevit ut cœlum legem portare.

Non

Non tantùm dicitur quies, sed secura, quippe minimè falsa: equidem quiescunt, qui legem proijciunt, sed labore, & non à labore quiescunt. Gravat proculdubiò legum custodia, aversâ haccine perduelli naturâ; sed pondere levat, ubicunque gravat, & humeros gravat, quotiescunque prolubium vincula levat, quin quiescere securè possint, quanvis quieverint; etenim in cœlo impossibile quòd quiescant, cùm totum cœlum, quòd portandum, allidant. Magnum profectò discrimen inter quiescere, atque quiescere securè: magnum utique inter quiescere à labore, & in labore quiescere. Hoc iter perditionis, illud virtutis, quàm sic improbi calcant, ac arrogantes pessundant, ruptis repagulis iuris, miscentes sacra profanis, ut citra quietem non quiescant, nec sine labore vivant.

Securè quiescit, qui legem custodit.

3 Nonne conscientiæ morsus? Gravis, sed nullus. *Gravis*, igitur ut ait Senec. *Epist.* 105. *Confusam vitam & perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent, nec ullo tempore vacant. Trepidant enim, cùm fecerint, hærent. Conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit. Dat pœnas quisquis expectat: quisquis autem meruit, expectat. Tutum aliqua res in mala conscientia præstat, nulla securum: putat enim se, etiam si non deprehenditur, posse deprehendi, & inter somnos movetur, & quoties alicuius scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi obliteratum videtur, non satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquàm fiduciam.* Et Iuvenal. Satyr. 13. à v. 1.

Morsus conscientiæ quã gravis. Senec.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori: prima est hæc ultio, quod se.

Iuven.

Iudice, nemo nocens absolvitur, improbã quanvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

Estò Ethnica, verè aurea & Scripturæ conformia, ut latè videbimus *Tautolog.* 8.

4 Gravis est, sed nullus, quippe ex chalybe pectus. *Cauteriatam* habent *conscientiam*, quoniam nullam vel intimam sentiunt lethalem plagam. *Multi in peccando callum obduxerunt, ita ut vix illos unquam conscientia remordeat, qui tamen pœna digniores* (ait Delrius in Senec. *Troad.* vers. 370.) *virtus, quà virtus est præmium; peccatum quà peccatum, pœnam meretur.* Ab assuetis non fit passio, unde lethifera pravo amicabilia stomacho.

1. Tim. 4. 2.

Sed nullus in pectore peccatoris. Delr.

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Martial.

Ut ait Martialis lib. 5. *Epigram.* 72. Vid. Gellium lib. 17. *Noct. Attic.* cap. 16. Non secùs improbi, ex prava consuetudine aberrantes à lege: igitur quod viscera vel ferrea pungeret, in præcepti ludibrium risum scelere movent.

5 *Per risum stultus operatur scelus:* dicit Salomon. Vulg. *Quasi per risum*: & vividè. Catachresis est, ut nota veritatis, nequaquàm similitudinis. Ita mens depravata scelerum corruptela: quicquid lex severitate vetat, tantùm cogitat, ut rideat; quippe vel gravissimum scelus, claudicantis à lege risus & iocus. *Facietis* (dicitur) *observabitis & implebitis opere.* Quis legem opere non implet, dum observat? Qui observat legem, ut frangat, & securè quiescit, quasi in opus observaret: equidem ruptæ conscientiæ præcipientis legis opus, risus & risus. Quasi per risum operatur scelus vafer, ut ruat, qui accedit subridenti confidenter: & dicitur machinatio per iocum, confidentis nocumentum: quoniam dum magis ridet, insidias struit, potiunda fraude sub velamine amicitiæ: igitur tunc altiùs sedet vulnus, si nudum pectus.

Prov. 10. 23.

Scelus impijs risus & iocus.

Deut. 4. 6.

Cordi vulnus amicus fictus.

—Tacitus dolo, dirumque volutat
Corde nefas, clausum ut thalamis somnoque gravatum
Immolet.

Val. Flacc.

6 Aptiùs proposito. Peccatum ita animam sauciat, ut intimè de vulnere doleat, erumpente in faciem, quicquid anxiè & compunctim detorquet mentem, quasi in speculum cordis, saucij venenis. Qui ridet, exprimit rictu iucunditatem intimam, qua ostendit hilarem animam, accepta intrinsecùs voluptate, ex novitatis dulcedine: & improbus in risum, quanvis Sardonicum, solvitur, dum cor in mortem, criminis telo percutitur, sine vulneris dolore; quippe solummodò gaudet de patrata iniquitate. Scelus intima penetrat, totum hominem trucidat, ut dolore revocet cogitationem, quæ perduxit in mortem extra legem: & ille punctus gaudet, vulnusque ridet, dum molitur scelus; quasi in corde non haberet intimum lethale vulnus. Callum obduxit criminum continuatio, ne molestaret afflictio, nec posset resipiscere, percepto ex iniquitate dolore: unde pro dolore vulneris perfunditur risu, quia inter vulnera vivit, sed sine sensu.

Gaudet peccator de patrata iniquitate.

7 Causam adducit Hippocrates *lib. 6. Aphorism.* 53. *Deliratio quæ cum risu fit, tutior*: quæ verò *studio adhibito, periculosior.* Semper mens ægrotat, quando morbum risus explicat: igitur si ægrotus gauderet mente,

Delirus est.